

sabantur. Ceciderunt in eo loco Joannes Grittus ductorum
 alter, vir impiger, ac fane strenuus: Nicolaus Balaster,
 Marcus Bonus, Andreas Thealdus, & Vendraminus Aquilejensis:
 multi præterea cum his obscuri nominis milites;
 pauci quidem, abjectis armis, per devia & abrupta loca ex
 tanta cæde dilapsi ad Quirinum venere: cui non multo post
 Dominicus Delphinus successit: quo Duce pax secuta est in
 ter Venetos & Græcos. Ad quorum ingenia beneficio ali-
 quo delinienda, quædam citra Muffelam fluvium ad occa-
 sum, Sevasto & aliis defectionum auctoribus possidenda sunt
 data. Prædia quædam in insula esse constat, quæ equestris
 militiæ nomine emeritis tradantur, insulani Caballarias vo-
 cant; earum quasdam Græcorum principibus tempestate illa
 concessas, alias postea Theodoro & Michaeli Mellissinii
 in fidem receptis datas reperio. Et hæc Ciano Duce domi
 forisque gesta: qui quum annos duos & viginti Rempubli-
 cam administrasset, effetque jam ob senectutem publicis
 negotiis parum omnino utilis, sponte se magistratu abdi-
 cavit: atque intra paucos dies ad Georgii fanum, quo re-
 ligionis causa transiverat, fœliciter vita decessit. Ejus cor-
 pus in paterno sepulchro conditum.

Jacobus Tepulus in demortui locum quadragintavirali
 suffragio sussecutus. Hujus quoque Principatu res in Creta
 parum quietæ fuerunt: de quibus pergam breviter dicere,
 priusquam ad alia quæ ipsius auspiciis domi forisque sunt
 gesta, transeamus. Nimia Venetorum in Cretenses indul-
 gentia effecit, ut Græcorum ingenia (quæ ingenita quadam
 levitate laborare creduntur) non modo non obsequentiora
 Veneto sint facta imperio, sed longe etiam infestiora. Non
 utitur pravum ingenium aliena patientia, sed abutitur:
 nec obsequio ullo aut gratia movetur, sed severitate potius
 & supplicio. Multa igitur peccandi licentia, omni puden-
 tia abjecto, Scordili in primis & Mellissini omnia latroci-
 niis infestare cœperunt, rapere jam aperte, spoliare, gra-
 farsi, nihil tutum relinquere cuiquam: & jam omnia cædi-
 bus & rapinis compleverant, quum ea rerum indignitate
 Dux commotus continuo Cretensem militem conscripsit.

Misit

1211

Cianimors.

1229

*In locum
 ejus surroga-
 tur Jacobus
 Tepulus.
 Novi Insu-
 lanorum
 motus ite-
 rum Vene-
 tos bellum
 reparare
 coegerunt.
 Cretensem
 ingenium.*